

τὰ εἶδη^{xi}. *Numeros sane vocabant formas.* Tum quia materiam interminatam terminant, ut numeri terminant numerata, tum quia formae ab una omnium principe forma proveniunt, sicuti numeri ab unitate. Sed hi non sunt ii numeri, qui primi natura universi
 5 ab Aristotele loco iam allato dicebantur, sunt numeri secundarii vel potius tertii aut etiam quarti.

Primi illi sunt, quos principia harum formarum Philoponus ibi subnectit:¹⁷ *Principia vero formarum harum dicebant unitatem, dualitatem, trinitatem, quaternitatem, quae simul decadem constituunt:*¹⁸ *Decem dicebat esse quaternaria haec principia et communiter*
 10 *in entibus omnibus et proprie et in intelligibilibus et in naturalibus et in sensibilibus.*

Dein quo pacto communiter principia essent, exponit: κοινῶς μὲν ἐπὶ πάντων μονὰς μὲν τὰ νοητά^{xii} *Communiter quidem in*
 15 *omnibus unitas quidem intelligibilia, quia impartibilis sit eorum non solum essentia, sed etiam actio, in statu ac immobilitate sit. Dualitas autem scientia et scibilia, quia scientia sit transitus a terminato ad terminatum. Trinitas autem naturalia universalis et opinabilia circa quae opinio versatur. Ut enim naturalia, manentia quidem formis, contrarietatibus tamen hac et illac alterantur: ita opinio excitatur quidem a quopiam, non tamen terminate fertur, sed hoc et illo modo, ut et falsa et vera esse possit. Quaternitas autem in sensibilibus singulis est: punctum ut unitas, linea ut dualitas, superficies ut trinitas, corpus ut quaternitas. Haec communiter in omnibus entibus. Proprie vero*
 20 *in quoque entis genere, alio hoc modo quaternaria ista principia sunt. Scilicet in intelligibilium entium genere, naturalium, sensibilibus. In intelligibili prima unitas, dualitas, trinitas, quaternitas, idea cuiusque rei est, ut αὐτοζώου, per se animalis. Atque haec idea principium*

¹⁷ ἀρχὰς δὲ τῶν εἰδῶν τούτων ἔλεγε [ἔλεγον] τὴν μονάδα καὶ δυάδα καὶ τριάδα καὶ τετράδα. [PHLP. in de An. 15.76.12 – 13]

¹⁸ Δέκα εἶναι {οὖν} ἔλεγε τὰς τετραδικὰς ταύτας ἀρχὰς καὶ κοινῶς ἐν πᾶσι τοῖς οὖσι καὶ ἰδίᾳ, καὶ ἐν τοῖς νοητοῖς, καὶ ἐν τοῖς φυσικοῖς, καὶ ἐν τοῖς αἰσθητοῖς. [PHLP. in de An. 15.76.14 – 16]

^{xi} PHLP. in de An.15.76.3.

^{xii} Usp. PHLP. in de An.15.76.16 – 17.